

Ioannis, & pharisei & Pilatus in nece Iesu Dei, Tragedia Nazianzeni Fidem, Spem, Charitatem, auget & terrorem, ex sceleris detestatione. Arist. verò etiam à persona Damnicante misericordiam captat, idcirco Tragedias probat, in qua amicus amicum, aut filius patrem, aut matrem, aut fratres, aut e contra, occidit per errorem, vti Oedipus, vel ira vti Medeanatos, vel necessitate, vt Abraham Filium Iussu Dei. Vel enim ignorant & occidunt, vel ira occidunt & necessitate; vel dum parant occidere, agnoscunt quod ignorabant, abstinentque à scelere; Sed iste casus non est tragicus sed comicus, vbi mors non sequitur. Nos autem licet vtrunque commiserationem approbemus; haud tamen Tragedia non erit, si ex altera parte tantum terror, cōmiseratio quæ excitetur. Neque quia Herodes non vult occidere Ioannem, neque Pilatus Iesum, commiseratio est tanta: sed ex eo quod iniuste quis & propter virtutem patitur præter rationem, aut præter opinionem, quando fortunatus erat ditione multa.

Laudatur actio constans peripetia, quando scilicet contra quod speramus, res in turbulentos euentus rapiuntur: itemque solutione, vel agnitione; cum quid agnoscitur, vnde commiseratio augetur, sicuti in Oedipo. Sed hæc communia sunt Comediæ. Semper tamen ex magna fortuna, vel honore, lapsus describi debet, & variatio fortunæ. In hoc enim tota res exempli continetur.

### De Forma Tragediæ.

**A**ctio tragica vna est magis quam heroica, vnoque die absolui vt possit. Idcirco caret Episodijs longis. Item metro vtitur iambo, qui conuenit conferentibus sermonem personis: aliisque intermixtis pro personarum qualitate, vt Seneca solet facere. Nec poeta vnquam quid narrat: excepto prologo, quem tamen latini non apponunt. Neque personas introducit: sed de se singulæ ad suum munus, & actum, quasi introductæ, & ope-